



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Conivgio Doctrina

Wigand, Johann

Jhenæ

VD16 W 2745

III. Ratiocinatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36207

DE CONIUG.

Ergo sacerdotes novi Testamenti, tenemur
OMNINO ab honesto Coniugio abstinere.

Respondeo. Maior est delira, & impia,
quia non habet ullum Dei verbum: Insuper ve-
tus illud atq; externum sacerdotium, est abroga-
tum: De nouo autem externo sacerdotio in re-
gno Christi, non extat mandatum diuinum. Imit-
tatio autem in rebus sacris, absq; Dei praecepto,
non tantum stulticia, sed & impietas est. Nam
haec Dei vox, ad omnes pertinet. Non facies,
quod tibi bonum videtur, sed quod EGO tibi
praecipio, hoc **TANTVM** facies.

Deinde in Conclusionem sunt plura, quam
in praemissis. Et quenam est isthaec collatio? Ipsi
ad breue tempus abstinnerunt ex mandato Dei.
Ergo nos per totum vita tempus, omnino abstine-
bimus, idq; sine mandato. Quid est phanatiffi-
mus, si hoc non est? Ab omni ratione abhorret,
tam stolidè & furiosè ratiocinari. Sed Anti-
christi Romani illusiones, hoc est doctrinam de-
moniorum, non docet alijs fundamentis nisi. In-
super reprobam prorsus mentem arguit, quod de
tam insulsis argumentis moniti Pontificij, tamen
nullo prorsus rubore suffunduntur. Sed amenes
ac furentes, notas Antichristi retinere cupiunt.

III.

RATIO

SACERDOTVM.
RATIOCINATIO.

Si Abimelech panes propositionis noluit dare seruis Dauidis, nisi confessis, quod triduo ab uxoribus abstinuissent 2. Reg. 21.

Ergo multo magis y debent in perpetuum ab honesto coniugio abstinere, qui panem illum manibus contrectant, qui est mundi uita.

Respondeo. Nego consequentiam, Quia nulla est connexio. Nam historia ibi nihil dicit de prohibitione Coniugij, tantum requirit Abimelech, ut eo die quo accipiunt panes consecratos ad exsaturandam famelicum corpus, immunes fuerint a consuetudine coniugali. Hic respondet Dauid alacriter, siquidem de mulieribus agatur, iam triduo sese abstinuisse, significans, non solum eo die, sese coniuges non attigisse. Nec fertur ibi lex sacerdotibus noui Testamenti. Proinde ineptissimum est, ex hac historia, demoniorum doctrinam de prohibitione Coniugij uelle obtinere.

Etsi autem Argumentum alio modo contextas, tamen res eodem redit, ut:

Panem sacrum manibus contrectantes, debent abstinere ab usu Coniugali, quoniam id faciunt.

I S

Sed

DE CONIUG.

Sed sacerdotes noui Testamenti, quotidiana panem sacrum manibus tractant.

Ergo debent quotidie abstinere ab usu coniugali, hoc est in vniuersum ab honesto coniugio.

Respondeo Primum. Maior nuptiam exat in nouo Testamento. Deinde nego Minorem. Nam male tractant panem in suis priuatis Missis missifices, quia sine uerbo Dei, imò contra institutionem Christi tractant. Nam Christus non instituit oblationem sui corporis & sanguinis in Cœna, sed Testamentum condidit, quod distribui sumentibus suum corpus cum pane, & suum sanguinem cum uino uoluit, ut sonant uerba manifesta, Accipite, comedite, Bibite ex hoc omnes &c. Accipere autem, comedere, bibere, non est offerre, sacrificare, sistere Deo patri. Nec iubet Christus, te sacrificulum tantum comedere & bibere, sed OMNES. Ergo priuata Missæ, quæ sunt ab uno homine, pro uiuis & mortuis, absq; distributione corporis & sanguinis Domini, sunt mera Antichristi opera, prophanantia sacram Cœnam, & permutantia eam in usum, non institutum à Christo, imò contra usum, quem Christus tradidit, & sunt furta totius Ecclesie, quibus hoc quod distribui debebat, hoc est comedi & bibi, Missæ solum ibi uorant

SACERDOTVM.

ac exorbet, tantum gestulationes quasdam more agyrtarum, stolido populo ostentans. Præterea à lege ceremoniali populi Iudaici à Deo traditis, & num aboliti, ad ritum Antichristi, carentem omni Dei verbo, imò prohibitum disertis verbis in nouo Testamento, nihil sequitur.

IIII.

EX DICTIS NOVI
TESTAMENTI.

Matth: 19. Sunt Eunuchi, qui seipfos castrauerunt propter regnum cælorum.

Ergo Sacerdotes omnes, debent abiurare honesta Coniugia.

Respondeo. Teneo consequentia in regno Antichristi. Nam is debet prohibere coniugia certa lege, eaq; in parte doctrinam Daemoniorum, a quibus obsidetur ac regitur, palàm promulgare.

Sed in Ecclesia Christi, vanitas illationis palàm per Dei gratiam cernitur. Nihil enim cohæret.

Christus ibi in genere de hominibus loquitur neq; ordinem aliquem definit aut designat.
Deinda